

VI. Violatur seu polluitur ecclesia quando in ea exercentur actiones quaedam Jure determinatae, quae loci sanctitati vehementer repugnant. Has explicare solent Canonistae in l. 3. Decret. t. 40. Sunt autem, juxta communem doctrinam :

1° Sanguinis effusio, quae actu graviter peccaminoso in ecclesia causetur. Non polluitur autem, si paucae tantum guttae sanguinis effunduntur (nam effusio aliquam copiam requirit), vel si omnis, aut saltem gravis culpa abest, ex. gr. si sanguis effunditur ab amente, casu, rixa puerorum, etc. aut in casu legitimae defensionis. Sufficit tamen vulnertum in ecclesia consistere, licet vulnerans foris stet.

2° Homicidium vel suicidium, quod intra ecclesiam voluntarie, non autem mere casualiter, causetur, licet forte mors extra ipsam ecclesiam sequatur.

3° Humani seminis effusio graviter illicita, scil. per voluntariam pollutionem vel copulam. Comprehenditur etiam copula conjugalitatis quae, sine necessitate, intra ecclesiam consummetur.

4° Sepultura excommunicati vitandi vel infidelis, non autem (probabilius) catechumeni vel infantis non baptizati, qui a parentibus fidelibus natus sit.

Ecclesiae nomine hic veniunt probabiliter omnes et solae ecclesiae vel oratoria, quae consecrationem vel benedictionem in Pontificali vel Rituali Rom. pro ecclesia vel oratorio publico positam acceperint : nam haec omnia et sola loca veniunt nomine *ecclesiarum*, de quibus loquuntur dispositiones Juris. (Suar. de Euch. disp. 81. sect. 4. n. 6) In his quoque aedificiis, non inducitur pollutio si tria priora scelera peraguntur extra partem quae *directe* cultui divino inservit, puta in turri, sacristia, supra tectum vel fornem, in crypta, etc. (Bus. ap. S. Alph. n. 362) vel in coemeterio ecclesia adjacente. Tandem ad effectum hunc inducendum requiritur ut crimen ab initio sit vel postea evadat *publicum*, seu tale ut nulla tergiversatione celari possit.

Non inducitur pollutio aliis actionibus, quae vel maxime locum sacrum dedeant. Attamen practice reconciliantur ad cautelam ecclesiae in quibus talia peracta sint, puta in quibus milites stationem habuerint. (S. C. R. 27 Febr. 1847; Coll. S. R. n. 2938)

243. VII. Sub gravi prohibetur quominus Missa vel alia officia celebrentur in ecclesia polluta, antequam reconcilietur. Excipitur casus necessitatis, in quo tamen (si fieri potest) venia episcopi est requirenda, puta si populus non habet aliam ecclesiam ubi Missam audiat. (S. Alph. n. 361) Quodsi polluatur dum sacerdos celebrat, is pergere debet si jam canonem incepit. (Miss. Rubr. de def. X)

Reconciliatio ecclesiae, quae sit tantum benedicta, fieri potest per sacerdotem ab episcopo delegatum, eo ritu qui in Rit. Rom. describitur.

Si vero consecrata est, reconciliatio facienda est ab episcopo, vel a presbytero quem episcopus, vi Indulti Apostolici, delegaverit, ritu in Pontif. Rom. descripto. Facultas delegandi in hoc posteriore casu solet reperiri inter facultates quinquennales episcoporum. (Aichner, op. cit. § 203)

VIII. Exsecratur, seu consecrationem suam amittit ecclesia, quando ita mutatur aut amplificatur ut jam, morali aestimatione, non sit eadem ecclesia : quod contingit si tota vel majori ex parte destruitur, licet cum eadem materia iterum aedificetur, aut si additur nova pars major quam quae antea exstabat. Non indiget autem nova consecratione ecclesia cui additur pars minor : huic enim consecratio a majore parte communicatur. Idem dicendum de ecclesia quae successive per partes instauratur, etiamsi jam nihil superest ex aedificio cui consecratio primitus collata est. (Schmalzgr. in l. 3. Decr. t. 40. n. 23 seqq.)

Ex responso S. C. R. (11 Jan. 1894; Act. S. S. t. 26. p. 439) non indigent nova consecratione ecclesiae, e quarum parietibus crista majori ex parte disjecta fuerit. Ideo jam non est admittenda contraria doctrina quam communiter DD. tradebant. (Schmalzgr. l. c.)

Benedictio autem communiter ab AA. dicitur adhaerere pavimento et manere, etiam dirutis parietibus, modo aedificium non fuerit destructum auctoritate superioris et sine spe reaedificationis. Attamen haec nulla lege firmata sunt, ac proinde, quotienscumque aedificium prorsus novum erigitur, nihil impedit quominus nova benedictione donetur. (Gasp. l. c. n. 183) (1)

CAPUT V.

DE REBUS AD CELEBRANDUM REQUISITIS.

§ 1. DE ALTARI.

244. I. Numquam licet Missam celebrare nisi in altari, ut e praxi Ecclesiae constat, neque S. Sedes concedere solet facultatem celebrandi sine altari saltem portatili. (S. C. de P. F. 2 Sept. 1780; Coll. P. F. n. 828) Distinguitur autem triplex altaris species :

(1) De celebratione Missae in ecclesia interdicta dicemus n. 623.

1^o Altare fixum, sensu maxime proprio. Hoc constat duabus partibus : *structura inferiori*, seu basi e lapidibus aedificata, et *mensa lapidea*, quae cum basi ope caementi arte jungatur. Huic mensae inest *sepulcrum*, i. e. locus ad condendas reliquias sanctorum excisus, et *sigillo* seu parvulo lapide clausus. Hoc sensu dicitur in Jure sola altaria fixa consecrari posse.

2^o Altare fixum, sensu minus proprio. Hoc constat *structura stabili et immobili*, non consecrata, et *lapide mobili* consecrato, qui structurae inseritur, sed ab eadem pro libito separari potest. Hoc sensu intellegitur altare fixum, cum edicitur nullum altare esse posse, ratione sui, privilegiatum, nisi fixum sit. (S. C. Ind. 26 Mart. 1867 ; Coll. P. F. n. 834)

3^o Altare portatile seu viaticum : quo nomine designatur vel tota structura, a loco in locum mobilis, vel solus lapis consecratus qui tali structurae inseri potest.

II. Secluso privilegio, quod episcopis de jure communi competit, aliis per speciale indultum S. Sedis conceditur, nemini licet celebrare super altare portatile in loco non sacro erectum. Licet tamen omnibus si hujusmodi altare in loco sacro erigitur (Lehmk. II. n. 225, nota) : quo nomine hic certe non veniunt cubacula privata religiosorum (Innoc. XIII, Const. *Apostolici ministerii*, 13 Maii 1723), neque probabilius cetera monasterii loca quae non sint moraliter unum cum oratoriis stabilibus, ut sacristiae. (Van Gameren, de Orat. p. 257 seqq.) (1)

III. Altare sensu maxime proprio fixum exsecratur, si mensa a basi omnino avellitur, vel etiam, non omnino avulsa, tota e suis stipitibus sublevatur novoque caemento cum iisdem jungitur. (S. C. R. 23 Febr. 1883)

Altare quodlibet exsecratur :

1^o Si lapis superior enormiter frangitur : quod certe contingit ubi jam nequeunt in eodem consistere calix et patena, saltem secundum majorem sui partem, vel si idem lapis scissura laborat quae per medium integrum lapidem currat. (S. C. R. 31 Aug. 1867 ; Coll. S. R. n. 3162) Num idem dicendum sit casu quo aliqua e crucibus lateralibus a reliquo lapide separetur, disputant AA. et manet probabilis sententia negans. (Lehmk. II. n. 225)

2^o Si frangitur aut removetur sepulcrum, sive ablatae fuerint reliquiae, sive non ; immo etiamsi submovetur tantum lapis quo, in altari

(1) Hic abstrahimus a privilegiis quae, cum multis restrictionibus, hodie adhuc competunt Regularibus quoad usum arae portatilis. Videsis Comp. Privil. Soc. Jesu. n. 27 seqq.

fixo, reliquiae teguntur (S. C. R. 14 Mart. 1861 ; Coll. S. R. n. 3106), non autem si sepulcrum apertum non est, sed tantum novo caemento firmatum. (S. C. R. 25 Sept. 1875)

§ 2. DE ALTARIS UTENSILIBUS.

245. Quatenus in altari ad Missam celebrandam requirantur, exponit missalis rubrica generalis XX. Hic tantum de quibusdam majoris momenti punctis agemus.

I. Altare cooperiendum est tribus **mappis** sive tobaleis mundis, vel duabus quarum una sit duplicata. Mappae istae benedicendae sunt ab episcopo vel ab alio qui a S. Sede acceperit facultatem : qualis solet concedi praelatis Regularium, quoad paramenta in ecclesiis propriis adhibenda.

Ex his praescriptionibus una tantum certo sub gravi obligat, vid. ne, extra casum gravis necessitatis, celebretur sine ulla mappa. Adhibere autem mappas non benedictas, per se leve peccatum videtur : idem licitum fit, ubi urget quaevis rationabilis causa. (S. Alph. n. 375)

II. Collocanda est super altare **imago crucifixi** : quae ita prominere debet ut sacerdos et populus eam facile videre possint. (Bened. XIV, Const. *Accepimus*, 16 Jul. 1746) Haec tamen praescriptio sub veniali tantum obligat. (S. Alph. n. 393)

Non est apponenda altera imago crucifixi, quando altari dominatur magna statua vel tabula picta crucifixum repraesentans. (S. Alph. l. c.) Ubi autem expositum est SS^{um}, servari potest consuetudo non apponendi crucifixum. (S. C. R. 2 Sept. 1741 ; Coll. S. R. n. 2365)

246. III. Toto Missae tempore in altari lucere debent **duae candelae** e cera confectae. Hac rubrica sub gravi prohibetur, ne absque ullo lumine celebretur. Attamen probabile est, in necessitate Viatici ministrandi, absque lumine celebrari posse (La Croix, l. 6. p. 2. n. 392 ; Lehmk. II. n. 233) : siquidem S. Sedes talem facultatem quandoque missionariis concessit, ut testata est S. C. R. 7 Sept. 1850 (Coll. S. R. n. 2985), ac proinde haec omissio non adeo indecens est ac plerique AA. censuerunt. Lumina ex oleo, sebo, etc. pro cera deficiente adhibere, S. Alph. (n. 394) licitum putat, ubi aliqua necessitas est celebrandi ; alii, quibus consentit Suar. (disp. 81. a. 6) pro lumine ex oleo, id licitum aestimant celebranti e sola devotione : quod valde probabile videtur quotienscumque decorum prorsus servatur, ut nostris diebus facilius

continget cum multa luminaria, puta e stearina vel cera vegetali confecta, vix distinguantur ab iis quae ex apum cera confecta sint. Quare si talia, etiam sine necessitate, adhiberentur, jam non appareret illa magna indecentia ob quam plerique veteres DD. hanc rubricarum violationem gravem existimabant. (Berardi, Prax. Conf. n. 3397)

Si lumina exstinguenterentur inter celebrandum, sunt quidem iterum accendenda; probabiliter tamen statim pergi potest ne Sacrum interrumpatur. (La Croix, l. c. n. 394; D'Annib. III. n. 401) Quodsi iterum accendi nequeant et consecratio jam peracta sit, pergendum est; ante consecrationem, Missa probabiliter abrumpenda esset. (S. Alph. n. 394) Cum uno tantum cereo accenso celebrare, ob quamcumque causam rationabilem licet.

Plures quam duos cereos super altare accendere sub Missa lecta, non licet ratione dignitatis celebrantis, qui sit episcopo inferior: licet, si Missa non est *stricte* privata, sed parochialis, conventualis, locum Missae sollemnis tenens in die festo, etc. (De Herdt, S. Lit. praxis, t. I. n. 184)

Cereis addere super altare candelas stearinas vel illuminationem ex *gaz*, decretis S. C. R. (4 Sept. 1875; 13 Apr. 1883) prohibetur. Similiter, ex resp. S. C. R. 4 Junii 1895, lux electrica nequit adhiberi ad cultum, sed tantum ad depellendas tenebras ecclesiasque splendidius illuminandas, cavendo ne modus speciem prae se ferat theatralem. Verum consuetudo vicens in Gallia et Belgio adhibendi super altare candelas stearinas, videtur tuto servari posse donec episcopus eam abolendam jusserit.

IV. Requiritur *missale*, non autem tabella Secretarum, quae tantum ad majorem celebrantis commoditatem apponitur. Probabiliter tamen non peccaret sacerdos qui celebraret sine missali, si hoc facile habere non posset et, ob praeteritam experientiam, sciret abesse morale periculum errandi, praesertim apposito alio libro sacro ut removeatur populi admiratio. Hac ratione celebrare posset sacerdos caecutiens, dummodo satis discerneret calicem et hostiam ut abesset periculum irreverentiae. Praestat tamen pro eo petere facultatem a S. Sede, quae eam non solet concedere nisi cum condicione explicita vel implicita (S. C. R. 12 Apr. 1823) assistentiae alterius sacerdotis. Qui vero penitus caecus esset, celebrare non posset sine indulto S. Sedis: quod interdum conceditur. (S. Alph. n. 390; Ball. P. n. 343)

§ 3. DE VASIS SACRIS.

247. I. Ad celebrandum requiritur sub gravi *calix*, cujus saltem cuppa sit aurea, argentea vel, in casu paupertatis, stannea (Miss. de def.)

vel etiam ex aluminio aliis metallis commixto, servatis condicionibus positus in concessione Pii IX. (6 Dec. 1866; Coll. P. F. n. 863) Praeterea sub gravi quoque requiritur *patena*: quae tamen ex aliis etiam materiis solidis esse potest, cum rubricae id minime vetent. (Gasp. op. cit. n. 748) Tum patena, tum interior cuppa calicis inaurandae sunt: quod sub levi tantum praecipitur videtur. (S. Alph. n. 370) Non permittitur calix ex aere (Miss. de def.), cupro deaurato (S. C. R. 16 Mart. 1876), etc.

Sub gravi quoque praecipitur ne celebretur cum calice vel patena non consecrata. (S. Alph. n. 379) Juxta quosdam AA. ut Diana, Tamburini, Ball. P. (n. 334), etc. consecrata manent, e contactu SS. Corporis et Sanguinis Christi, calix et patena quae adhibita fuerint ad celebrandum, antequam consecrationem acceperint. Nituntur tum ratione, quod per contactum ss. specierum eminenter fit illa deputatio ad usus sacros quae per consecrationem inducitur, tum decreto S. C. R. (22 Sept. 1703), quo benedictiones, ex delegatione episcopi invalide peractae a simplice presbytero, jubentur redintegrari "praeterquam quoad vasa sacra jam adhibita.", Attamen, cum exceptio illa jam non referatur in eodem decreto prout in authentica Collectione S. C. R. (n. 2119) legitur, hoc alterum argumentum omnem vim amisit. Cfr. n. 235, notam. Quare probabiliter cum S. Alph. (n. 380) negatur in hoc casu calicem non esse consecrandum.

II. Calix exsecratur si impie ad usus profanos adhibetur, ex. gr. ad bibendum in mensa (S. Inq. an. 1674; Coll. S. M. n. 422), vel si fit ineptus ad Sacrum celebrandum, puta si foramen est in parte inferiore, non autem si in superiore, ita ut speciem vini convenienter continere possit; item, si formam amittit sub qua consecratus est, puta si a cuppa avelitur pes qui firmiter eidem adhaerebat, non autem si pes tornatilis a cuppa separatur. Neque probabiliter amittit consecrationem calix cujus inauratio per longum usum deperditur: quia, per modum unius, consecratus manet. (S. Alph. n. 370) Attamen, ubi nova fit inauratio, denuo consecrandus est. (S. C. R. 9 Maii 1857; Coll. S. R. n. 3042)

III. Calici substernendum est *corporale* ex lino vel cannabe confectum. Graviter peccaret qui sine corporali eoque benedicto celebraret, nisi gravis urgeret celebrandi necessitas. (S. Alph. n. 387) De celebrante cum corporali valde sordido dictum est Vol. I. n. 282.

Praeterea sub levi requiruntur: *purificatorium*, quod probabiliter non est benedicendum et, si forte deficit, suppleri potest strophio mundo, quod postea ad profanos usus non adhibeatur (S. Alph. n. 389); — *palla*, ex lino vel cannabe confecta, ex qua parte calicem tangit, quamvis ex altera parte possit aureis et sericis ornamentis operiri. Haec cum corporali benedicenda est; justam autem ob causam, puta ne

per quadrantem expectandum sit, suppleri potest purificatorio vel bursa; — bursa et velum calicis.

Pallae et corporalia, aequae ac tobaleae altarum, albae et amictus omnino prohibentur confici ex alia materia quam e lino vel cannabe, puta e gossypio, etiamsi illa horum munditiam et tenacitatem aequaret. (S. C. R. 14 Maii 1819; Coll. S. R. n. 2600) Prima lotio corporalium, palliarum (1) ac purificatoriorum facienda est ab iis qui sint in ordine sacro, vel (probabiliter) qui saltem tonsura sint initiati; aqua autem lotionis in sacrarium projicienda est. Utrumque sub levi tantum obligat, ideoque ob justam causam omitti potest. (S. Alph. n. 387) Attamen eandem lotionem fieri posse, cum licentia Ordinarii, a monialibus seu piis feminis vitam communem sub regula degentibus, negavit S. C. R. 12 Sept. 1857 ad 26^{um}. (Coll. S. R. n. 3059)

§ 4. DE VESTIBUS SACRIS.

248. I. Requiritur ad celebrandum: amictus et alba ex lino vel cannabe; — cingulum, quod etiam e lana vel serico confici potest (S. C. R. 22 Jan. 1701 et 23 Dec. 1862; Coll. S. R. nn. 2067 et 3118); — casula, stola et manipulum, quae ex gossypio, lana vel lino confici nequeunt (Litt. S. C. R. 28 Jul. 1881, cit. a Lehm. II. n. 230); decentius e materia pretiosa, ut serica, conficiuntur. Haec omnia sunt benedicenda ab episcopo vel alio facultatem a S. Sede habente. Benedictio ista iteranda est quotiens vestes illae exsecratae sunt, eo quod amisere illam formam qua ad finem suum inservire possunt, puta si alba manicam amittit, si cingulum ita rumpitur ut neutra pars cingendo sacerdoti sufficiat, etc. Idem dicendum si adduntur simul novae partes quae reliquas benedictas superent. Cfr. dicta in simili quaestione n. 243, VIII.

Ob magnam indecentiam graviter peccaret qui, saltem extra casum gravis necessitatis, celebraret sine casula vel alba, vel omissis simul stola et manipulo. Immo etiam solam stolam vel manipulum omittere, multi cum S. Alph. (n. 377. dub. 1) grave reputant; alii probabiliter leve tantum (Ball. P. n. 328; Gasp. de Euch. II. n. 702), eo quod gravis onordinatio non apparet. Quare ob justam causam, puta ob ferventem devotionem, licebit celebrare etiamsi unum ex his, vel cingulum aut amictus, haberi nequeat.

(1) Attamen, cum antiquitus palliarum nomine venirent parva corporalia, non videtur hoc praescriptum complecti hodiernas pallas: quippe quae sacras species minime tangant. (Gasp. de Euch. n. 757)

Item adhibere ornamenta non benedicta, plerique (D'Annib. III. n. 241) perinde existimant ac si nulla adhiberentur: quia per benedictionem tantum fiunt sacra. Quidam tamen (Gasp. l. c. n. 713) id levius reputant, neque immerito: siquidem hic etiam ratio habenda est externi decori, quod adhibitis vestibus non benedictis omnino servatur. Probabiliter ob gravem necessitatem licet celebrare sine stola et manipulo, vel cum vestibus non benedictis, puta ne cum serio periculo scandalum Missa die festo omittatur: non enim laeditur externum decorum. (Lehm. II. n. 231) At celebrare sine casula vel alba, a fortiori sine ullis vestibus sacris, multo urgentiorem causam requirit, immo etiam plerique id numquam licere autumant (S. Alph. n. 377): quod tamen falsum videtur, siquidem Leo XII concessit 30 Nov. 1828 Vic. Apostolicis Sinensibus facultatem indulgendi ut, tempore persecutionis, urgente praesertim necessitate S. Eucharistiam populo aut infirmis dispensandi, sacerdotes Missam sine vestibus sacris celebrarent: quare non videtur necessario sequi contemptus vel irreverentia. (Coll. P. F. n. 853)

Tandem requiritur sub veniali ut celebrans deferat vestem talarem et pedibus calceatus sit (Ritus serv. I. 2): quod posterius tamen impletur etiam ab eo qui fert crepidas nocturnas. (S. Alph. n. 402)

II. Color vestium rubricis praescriptus obligat sub levi. Nam licet multi AA. rubricam hanc mere directivam esse putaverint, et S. Alph. (n. 378. d. 5) eam tantum probabiliter praeceptivam esse opinetur, obligatio satis constare videtur e multis decretis S. C. R. quibus severe hoc argumentum urgetur. (Lehm. II. n. 230) Attamen excusat quaelibet rationabilis causa, ut si concursui sacerdotum non sufficerent vestes debiti coloris; immo satius est quocumque die Sacrum facere in quolibet colore quam illud omittere. (S. Alph. l. c.)

Prohibitus est tum flavus, tum caeruleus color; ornamenta autem ex auro contexta permissa sunt adhiberi pro colore albo, rubro vel viridi, non autem pro violaceo (S. C. R. 23 Febr. 1839 et 5 Dec. 1868; Coll. S. R. nn. 2788 et 3191)

§ 5. DE MINISTRO.

249. I. Requiritur sub gravi minister masculus, ut praesertim ex ipsa liturgia constat. Excipitur casus necessitatis, puta ut die festo populus Sacro interesse possit.

A gravi excusatur qui adhibet ministrum respondendo imparem, ideoque ita celebrare etiam in minore necessitate licet. (Lugo, disp. 20. n. 103) Licet quoque pergere in celebrando si minister, incepta Missa,

maxime jam offertorio facto, discedit, et aliquantulum expectatus non revertitur. (S. Alph. n. 391)

II. Grave esset in celebratione adhibere feminam ad altare ministrantem (Decr. I. 3. t. 2. c. 1) : quo sensu verum est, urgente necessitate, satius esse ut sine ministro, quam cum femina ministrante celebretur.

Leve autem foret celebrare, femina a longe respondente, non autem ad altare ministrante. (S. Alph. n. 392) Idem, juxta regulam generalem de levi obligatione, licitum fit ubi causa rationabilis habetur : quod e consuetudine apud moniales recepta constare videtur. Attamen S. C. R. (27 Aug. 1836 ; Coll. S. R. n. 2745) id licitum dixit tantum " urgente necessitate. " Quantam autem necessitatem hanc esse velit, saltem in ecclesiis publicis, nondum liquet : nam postquam (14 Aug. 1893) responderat talem necessitatem non haberi in casu quo sacerdos secus omittere deberet Sacrum, quod minime necessarium sit ut praeceptum audiendi Missam impleatur, postea (12 Jan. 1894) hujus rescripti executionem suspendit donec allata nova rationum momenta perpendisset. (Act. S. S. I. 26. p. 573)

CAPUT VI.

DE SERVANDIS IN IPSA CELEBRATIONE.

§ I. REGULAE GENERALES.

250. I. Missam in universum celebrandam esse juxta rubricas missalis Romani a S. Pio V editi, inter omnes constat. Quanta vero sit earum obligatio in conscientia non ita convenit ; sed videtur omnino tenenda sententia quam cum S. Alph. (n. 399) sequuntur plerique recentiores (Ball. P. n. 355 ; Lehm. II. n. 238 ; D'Annib. III. n. 383), et a qua plures veteres (Lugo, disp. 20. n. 104 seqq. ; Suar. disp. 83. sect. 3 ; Tambur. de Sacr. Miss. I. 2. c. 5. § 1) verbo potius quam re discrepabant. Nempe rubricae praescribentes servanda in ipsa celebratione, obligant sub gravi ex genere suo ; reliquae non obligant in conscientia, nisi quatenus proponunt obligationes jam aliunde existentes. Attamen in his posterioribus violandis facile potest irrepere peccatum veniale, fere ut dictum est de regulis religiosis per se non obligantibus sub culpa. (n. 87, IV) Ex altera parte, etiam inter priores videntur quaedam esse

directivae seu instructiones doctrinales, quae non magis obligant quam doctrina in qua fundantur, puta quae continentur sub titulo : De defectibus etc. (Suar. disp. 85. sect. 1)

Probatur haec sententia imprimis e Bulla Pii V missali praefixa ; " In virtute sanctae oboedientiae praecipientes ut, ceteris omnibus rationibus et ritibus ex aliis missalibus... penitus omissis... Missam juxta ritum, modum ac normam, quae per missale hoc a Nobis nunc traduntur, decantent ac legant. " Unde patet praeepto riguroso non tantum vetari aliorum missalium usum (nisi peculiari privilegio id indultum sit), sed etiam positive imponi conformitatem cum ratione celebrandi in hoc missali descripta. At pro rubricis ante vel post Missam servandis non habetur tam strictum praeceptum ; immo, cum eas silentio praetermiserit S. Pius V eo loco quo pronum erat eas commemorare, censendus est noluisse eas omnes stricto praecepto imponere.

Nec propterea tales rubricae uniuscujusque sacerdotis genio permittuntur, sicut neque in Ordinibus religiosis regulae mere directivae in cujusque religiosi arbitrio ponuntur. Nam Ecclesia merito aestimare potuit pro regulis minoris momenti sufficere Superiorum vigilantiam et bonam sacerdotum voluntatem ad observandas rubricas quas practice raro neglegere possunt sine peccato levi, nisi causa rationabili excusentur. Nihil ergo nos cogit ut cum quibusdam recentioribus, praesertim Rubricistis (ut Coppin, Sacrae Lit. Compend. n. 6. seqq.) omnes omnino rubricas tamquam praeceptivas habeamus.

Idem consequenter dicendum de S. C. R. decretis, quibus rubricae missalis authentice declarantur. Haec erunt praeceptiva vel mere directiva, prout rubricas intra Missam servandas vel reliquas afficiunt, nisi in his posterioribus amplior obligatio e subjecta materia vel verbis adhibitis colligatur.

251. II. Consuetudine abrogari nequeunt rubricae missalis in rebus majoris momenti, ne uniformitas substantialis in divini sacrificii liturgia pessumdetur.

Immo multi Rubricistae (Coppin, op. cit. n. 21 seqq.) contendunt omnem consuetudinem contra quaslibet rubricas esse ab Ecclesia reprobata, ideoque nullius valoris. Sed, ne praxim timoratorum sacerdotum vel ipsorum Praesulum condemnemus, omnino admittendum arbitramur : quasdam minoris momenti rubricas in desuetudinem abire posse. Sic ipsa S. C. R. interrogata : " Utrum possit servari consuetudo non accendendi tertium cereum in Missis privatis a consecratione ad communionem, quamvis commode fieri possit ? Item quod tobaleae altaris usque ad terram a lateribus non pertingant ? " respondit 30 Dec. 1881 : " Ad utrumque servetur consuetudo. " Consuetudines vero quae